DE MIRA AETATIS NOSTRAE

CUM ROMANA PETRI SEDE

SACRORUM ANTISTITUM CONJUNCTIONE

ORATIO

HABITA VII CAL. JUL. AN. MDCCCLXVII

IN AULA MAXIMA

ACADEMIÆ RELIGIONIS CATHOLICÆ

AB EMINENTISSIMO PATRE

CAROLO ALOISIO MORICHINI

AESINATIUM ANTISTITE

ROMAE

EX OFFICINA SINIMBERGHI

PIO NONO PONTIFICI MAXIMO

SOCII ACADEMIAE A RELIGIONE CATHOLICA

FELICITATEM

In tanta totius Catholici orbis laetitia cum saecularia solemnia Beatissimi PETRI Apostolorum Principis, et Coapostoli ejus PAULI triumphis sacra a Te, Beatissime Pater celebrentur, absonum omnino erat, ut coetus noster conticesceret, qui ex instituto pro viribus studium omne ac operam confert ad Religionem scriptis tuendam, illustrandam.

Quum igitur, inter plurimas exultantium animorum significationes, ad auspicatissimi diei celebritatem oratio habita sit coram frequentissimo Purpuratorum Patrum, ac sacrorum Antistitum conventu; haec eadem Tibi, Beatissime Pater, jure meritoque debita obsequentissime

dedicatur. Etenim Tua res est nova haec ac peropportuna solemnitas, quae Christi Ecclesiam tantopere divexatam et moerentem quodammodo lenivit. Quantum vero in ea roboris ac virium sit ad animos bonis omnibus addendos, ex livore, et obtrectationibus perditorum hominum innotescit. Insuper gratum Tibi, Beatissime Pater, censuimus fore sermone prosequi arctissimum conjunctionis et observantiae vinculum quo Tibi, supremo Ecclesiae Pastori ac Magistro sacrorum Antistites obstringuntur. Factum aetatis nostrae plane illustre ac luculentissimum.

Sic Te Deus Optimus Maximus, Beatissime Pater, civilis ac religiosae societatis bono et felicitati quam diutissime sospitet ac tueatur.

ORATIO

I.

Singulare hoc et omnino mirandum temporibus hisce nostris accidit, Eminentissimi Principes, amplissimi Antistites, Academici clarissimi, ut brevi ab hinc tredecim annorum spatio, Summo Pontifice invitante, ea sacrorum Antistitum frequentia, ex dissitis etiam catholici orbis regionibus, Romam advenerit, quanta vix unquam fuit, quoad longissime praeteritum tempus respicere possumus. Haec enim non solum quasdam oecumenicas synodos aequavit, sed etiam vicit. Quod quidem factum praeclarissimum omnis aetas mirabitur, atque Ecclesia inter jucundissima suae gloriae monumenta servabit; eo vel magis quod hujusmodi conventus eo tempore fuerint coacti, quo minus humanae prudentiae opportuni viderentur: cum tanta esset rerum publicarum, in Italia praesertim perturbatio, tanta in Urbem christiani nominis principem perditorum hominum arrogantia. Quin imo omnis imperantium auctoritas in civili societate despecta iacebat, regnorum jura pessumdata, Europa bello et factionibus commota agitabatur. Attamen quam secundos exitus sortiti sint jam manifestum est. Atque hujusmodi sacrorum Antistitum contra Ecclesiae hostium machinationes, et vota conventus praesentissimo S. Spiritus afflatu initos fuisse quisnam dubitabit? Quisnam audeat inficiari hoc maximo Ecclesiae bono semper fuisse, et esse futurum? Quisnam immortali Pontifici Summo PIO IX meritas grates referendas esse non duxerit, qui tantorum operum auctor, excitator, Princeps fuit? Jure igitur illustrium virorum hic coetus, qui catholicae Religionis nomine ornatur et gaudet, maximae laetitiae signa edere decrevit, vosque, amplissimi Patres, honoris et observantiae causa in

partem exultationis arcessere. Itaque nihil mihi optabilius, nihil honorificentius poterat contingere, quam ut hoc solemni die, in hac Aula maxima, in hoc Venerabilium Pastorum concursu verba faciendi munus mihi demandaretur. Proposito ergo mihi ab Emo et optimo Praeside orationis argumento, pro ingenii mei exiguitate enitar satisfacere, et dicere adgrediar DE MIRA AETATIS NOSTRAE CUM ROMANA PETRI SEDE SACRORUM ANTISTITUM CONIUNCTIONE.

II.

Conjunctio haec arctissima luculenter innotuit, quum Pontifex Summus de Dogmate Conceptionis IMMACULATAE DEIPARAE VIRGINIS decernendo cogitaret. Equidem omnium id erat in votis, nihilque potius ab universa Ecclesia desiderabatur. Verum magni hujuscemodi facti rationem ac ordinem breviter perpendamus. Perduellium hominum scelere summus Antistes Roma exulabat atque hospes Cajetae morabatur. Attamen in ea temporum acerbitate, suimet quasi oblitus, gloriam Deiparae Virginis animo fovebat, litterasque ad Episcopos omnes mittebat, quibus egregiam ipsorum pietatem et pastoralem sollicitudinem magnopere excitabat, ut unusquisque in propria dioecesi publicas preces indiceret, ut in re tanti momenti id consilii susciperetur, quod tum ad majorem Dei gloriam, tum ad beatissimae Virginis laudem, tum denique ad militantis Ecclesiae utilitatem apprime conferret. Mirum sane fuit qua alacritate sacri Antistites Pastori maximo confestim obsequuti, indictis supplicationibus, matura deliberatione, consultisque viris sapientissimis responsum dedere scriptis epistolis, quae undecim voluminibus in lucem editis continentur: monumentum perenne devotae obedientiae, intemeratae fidei, ac singularis animorum concordiae. Haec in Dei Ecclesia peragebantur cum magnum sane bellum ferveret. Sed pergat oratio mea, sacrosque Praesules peregrinantes adspiciat ac porro sequatur. A glacialibus Arcti plagis, a torridis Africae littoribus, ab extremis Americae finibus, ab insulis etiam longinquis nulli parcentes labori, nullis deterriti itinerum incommodis, Venerabiles Patres Romam conveniunt, Pontificem splendide circumstant in maximo Vaticani templo, avidisque auribus optatissimam illam vocem hauriunt, qua irrefragabili judicio Deipara Virgo

ab origine labis nescia declaratur, idque firma fide tenendum decernitur. Jam Doctorum quorumdam virorum dissensus tacuere, jam variae scholarum opiniones in unam convenere sententiam, jam abjecere metum omnem siqui forte nimium timidi haerebant, jam Petro ex cathedra definiente quod jam pridem Ecclesiae traditum fuerat, pro fidei dogmate habetur. Faustissimus atque expectatissimus nuntius fulguris ut ita dicam celeritate per totum catholicum orbem perfertur, omne genu subditur, quodque carum magis ac liberum in homine est, intellectus omnis, omnis voluntas, sponte libenterque subiicitur, cunctique Sacrorum Antistites, et fideles eis concrediti idem ex animo sentiunt cum Supremo Ecclesiae Capite. Spectacula istiusmodi locum in catholica tantum societate habent. Pastores namque Pontifici adhaerent, populi pastoribus: unde exurgit admirabilis illa animorum unitas, quae merito inter praecipuas Ecclesiae Christi notas adnumeratur. Christiani enim populi sacros Praesides non a se electos, sed a Deo per Vicarium suum in nomine Domini excipiunt ac venerantur. Qui quidem sacri Pastores adveniunt non ad tondendos, sed ad pascendos greges, non ad vitam in otio et commodis degendam, sed gravissimis negotiis, curis molestiisque distentam ac pene obrutam, plenam laboribus, plenam periculis; non ut sibimetipsis prosint, sed ut publico bono prospiciant, et subditos veluti in Christo filios amplectantur omnique beneficiorum genere sibi devinciant. Hujus unitatis ope et vinculo tot centena hominum millia idem sapiunt, sentiunt idem; mysticum Christi corpus coalescit, firmatur et viget. Quare perfecta unitas non astu aut blanditiis, non minis aut terrore, non deceptione aut vi, nullis denique potestatis humanae viribus, sed omnipotentis Dei virtute plane conficitur; et ultro efflorescens uberrimos concordiae laetitiaeque fructus emittit. Hinc multiplices illae charitatis significationes, luminaria, festi ritus, solemnitates, praeconia. Hinc tantus amor in summum universae Ecclesiae Pastorem, et docilitas fidelium, et filiorum in Patrem reverentia. Etiamsi caetera omnia deessent, vel hoc unum profecto splendidissimum aetatis nostrae factum sufficeret ad plane ostendendam Catholicae Ecclesiae majestatem, amplitudinem, dignitatem: haec vera est suffragiorum libertas quae membrorum omnium cum capite intimam consociationem portendit.

III.

At vero hoc praeclarissimum exemplum paucis post annis aliud quoque nec sane minus illustre excepit. In memoriam revocate, post impiam fere totius regiminis rapinam armis, fraudibus patratam, quibus horribilis tempestatis fluctibus romanae res agerentur. Fere dixerim immanissimum Virginis immaculatae hostem vim omnem infernam explicuisse, ut Pontifici Summo Ejus gloriae adsertori novum bellum ac teterrimum indiceret. Quidnam vero profecerit breviter inspiciamus. En alter Sacrorum Antistitum coetus colligitur. Etenim quae solemnitas ex vetere consuetudine quosdam Italiae Praesules Romam advocabat, ea prima vice universos compellat: optimo sane immortalis PII IX consilio. Namque patria haec nostra miserrima a perduellibus discerpebatur, et qui publicis rebus potiebantur, italos Praesules a summo Pastore vi arcebant. Quid porro? Iterum accidit ut iniquitas sibi mentiretur. Post hominum memoriam nunquam fuit tanta Episcoporum frequentia, quum novi heroes Sanctorum Coelitum honoribus augerentur. Fere namque trecenti Praesules nedum solemnibus coeremoniis ad Vaticanum splendidissime actis adstiterunt, sed etiam coram Pontifice eam protulere declarationem, quam uti perenne ac luculentum devinctissimae unionis monumentum annales sacri servabunt. Cui etiam plusquam quadringenti episcopali dignitate praediti absentes subscripsere; quae res tam grave auctoritatis pondus efficit, ut post Oecumenicum Concilium Lateranense secundum frequentissimum, nullam prope aliam huic similem Episcoporum consensionem Ecclesiae annales praeseferant. Erat vero omnium unus spiritus; cor unum: unitas in doctrina, unitas in sententiis, in obedientia unitas. Nec locorum distantia, nec regiminum disparitas impediit, quominus tanta Patrum multitudo in unum, eumdemque sensum conveniret. Hoc argumento perspicue ostendebatur nil in Ecclesia Dei immutatum, longo licet praeterlapso plusquam decem et octo saeculorum spatio atque eamdem vigere animorum consensionem, quae primaeva Apostolorum aetate fuisset. Jamvero istiusmodi unio constans, continua, perfecta nonne clare demonstrat divinam esse Religionis originem, praesenti Spiritus Sancti virtute Ecclesiam regi, atque impleta

Christi promissa se nobiscum futurum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi?

Quamquam vero unio Catholica, ac praesertim Sacrorum Antistitum cum Romano Pontifice in Ecclesia nunquam defuerit; ea tamen nullo tempore arctius ac manifestius, quam nostro hoc aevo omnibus innotuit. Cuncti Ecclesiae Catholicae Episcopi concordes cum Romano Pontifice locuti sunt ea ratione, ut vere unus ac idem spiritus Dei diverso utique sermone linguarum, sed una eademque mente sese proderet, ac pene videremur ipso Apostolorum tempore nos versari, cum diversarum adeo gentium homines eos mirabilia Dei praedicantes, proprio quisque sermone loquentes audiere. Namque non solum ii, qui hanc urbem adire potuere, verum etiam illi, qui vi coërciti Romanum iter, magno animi sui dolore aggredi haud potuere, Summo Pastori concretissimis animis assentiri vehementer gloriati sunt. Hinc factum est ut quod Ipse asserebat probarent, quod improbabat damnarent, dolenti condolerent, laetanti gratularentur: ut ingentia quindecim volumina in vulgus edita notum faciunt, ac veluti totidem arctissimae unionis monumenta omnibus testantur. Nostra haec trophaea, nostri hi triumphi.

IV.

Hoc pacto procul dubio, efficitur, quod Paulus ad Philippenses scribebat « *idem sapiatis eamdem charitatem habentes, unanimes id ipsum sentientes* » Hoc modo manifeste conspicitur quod ipse Christus voluit, Patrem orans illis verbis « *Pater Sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.* » Ex quo loco divus Cyprianus celeberrimam eam sententiam eruebat « *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur* » Atque iterum alibi « *Episcopum unum, Episcoporum multorum numerositate diffusum* » Et cum Novatianum urgeret, qui signum rebellionis in S. Cornelium legitimum Pontificem extulerat ait « *Idcirco Dominus insinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem ponit et dicit: Ego et Pater unum sumus. Ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam denuo dicit: Et erit unus grex et unus Pastor* » Hinc Pontifex S. Symmacus « *unum est per diversos Antistites Sacerdotium ad Trinitatis instar* » Et revera perspectum est Filium eamdem essentiam habere, quam Pater, et unum Deum esse « *Omnia*, sic Christus ipse, *quae dedisti mihi abs te*

sunt, et mea omnia tua sunt et tua mea sunt. » Veritates omnes, quas Christus Apostolos docuit, potestatem omnem quam ipsis contulit, Patri refert acceptam. Omnia quae dedisti mihi abs te sunt, quia verba quae dedisti mihi dedi eis « *Ego dedi eis sermonem tuum: mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Denique missionem ipsam Apostolorum a Patre repetit « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* » At Pater, ut verbis utar S. Basilii, est *radix et fons Filii et Spiritus Sancti.* Cui Gregorius Nazianzenus cohaeret dum ait « *Unus quidem est Deus, siquidem Filius et Spiritus Sanctus ad unam causam referuntur.* » Optime igitur, ut superius memoravi, S. Symmachus Episcopatus unitatem divinae Trinitatis imaginem exhibere affirmabat. Post haec quid memorem Ecclesiam comparari uni agro, uni convivio, uni domui, ovili uni, atque mysticum Christi corpus efficere? quid referam praeclarissima illa verba S. Apostoli Pauli ad Ephesios quibus eos adhortatur: *Solliciti servate unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptismum, unus Deus et Pater omnium*

V.

Sic revera quot homines vivunt, unam veluti familiam efformant: quod Providentissimus Deus satis expressit, quum universum humanum genus ex uno stipite voluit derivari. Atque id clarius etiam elucescit post salutiferam reparationem, cum uni Petro principatus est attributus; ut unitas et charitas humanae familiae instauraretur in unitate Patris unius in coelis, sicut et Patris unius, qui in terris illius vicem gereret notus omnibus ac spectabilis. Christi enim societas non unam aut alteram gentem amplectebatur, sed universas; quae Ecclesiae unitas, mira etiam varietate constat, qua clarius per totum terrarum orbem effulget. Unitas enim locum habet in fide et legibus morum; in reliquis quae a Christo Jesu statuta non sunt, uti in caeremoniis et ritibus, varietas. Quod quidem Divus Augustinus exornat egregie ad locum Psalmi XLIII, ubi Christi sponsa Reginae comparatur illis verbis « *Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate: vestitus Reginae hujus,* ait Sanctus Doctor, *quis est? et pretiosus est, et varius est. Sacramenta doctrinae in illis omnibus varia. Alia lingua afra, alia syra, alia graeca, alia haebraica: ista et illa faciunt istae linguae varietatem vestis Reginae hujus. Quomodo autem omnis varietas vestis in*

unitate concordat, sic et omnes linguae ad unam fidem. In veste varietas sit, scissura non sit » Et prosequitur his verbis « *Aurum quid est? ipsa sapientia, quaelibet sit varietas linguae unum aurum praedicatur; eamdem quippe sapientiam, eamdem doctrinam et disciplinam omnes linguae praedicant: varietas in linguis aurum in sententia* » Sic ille.

VI.

Ut autem haec unitas, praecipuum Ecclesiae signum, cuique manifesta ac praecipua sit, requiritur auctoritas. Eadem fidei professio, idem Sacramentorum usus, eadem denique membrorum communicatio non sufficeret nisi caput praeesset ad unum dumtaxat corpus efformandum. Nam quis circa id quod fide tenendum est, dissensiones dirimet? Quis genuinam regulam circa morum disciplinam firmabit? Hinc infallibilis ac sacer Primatus divinitus est constitutus, ut omnibus quoque unitas visibili ac certa ratione appareret.

Ex hac igitur firma membrorum omnium cum uno Capite conjunctione ea vis ac potestas Ecclesiae indita est, ut et incorrupta tot saeculorum lapsu, inter multiplices populorum ac regnorum vicissitudines inter adversa quaeque asperrima perduraret, seseque in omnes terrae regiones diffunderet, nec spatio, nec tempore ullo coarctaretur.

Etenim quis ignorat unitatem esse in omnibus originem vis ac principium? Etiam in physicis rebus si minimae quoque ac tenuissimae particulae simul cohaesere, magnam vim explicant. Quod si non iners materia, sed libera hominum plurimorum voluntas ac intellectus in unum conspirent, quisnam neget ex hac coniunctione fere prodigia exoriri? Quid non potuere bellicis artibus instructae ac munitae Macedonum phalanges, ac Romanae legiones? Jure igitur meritoque scholastici eam protulerunt sententiam - unum et ens converti, id est (liceat minus latinis verbis uti) intensitati Entis respondere potentiae intensitatem, ac e converso gradatim non enti gradatim etiam impotentiam respondere.

At vero unitas catholicae Religionis profecto in humanis est omnium perfectissima. Ex intimo namque animo proficiscitur, quo quisque sibi persuasum habet certa esse ac vera quae tenet, ideoque illis mores vitamque omnem absolutissime componit. Humanum jus omne saepe in dubium revocatur ab iis etiam quibus videtur favere. At si de Ecclesia, si de supremo ejus capite Pontifice agitur, aliter prorsus est

sentiendum. Quandoquidem Pontifex Summus in procuranda Christiana Societate universa id negotii prae manibus habet, quod dubitationem omnem respuit, firmissimoque fundamento innitur. Certo ille scit Christi vices se gerere in terris, divinum praesidium numquam sibi defuturum: Petri naviculam agitari posse, submergi non posse, sponsiones Christi prae oculis habet ac tanto, Gubernatore omnem inferni vim deficere et penitus profligari. Hanc quoque certitudinem in universo Christi grege inesse nemo non videt. Qui enim Cathedrae Petri jungitur, jus Petri non inficiatur; imo et ei toto ex corde, totis viribus adhaeret ac subditur. Hinc immensa fere dicam hujus Urbis nostrae potentia: hinc mirum illud spectaculum, quod sine armis, sine ulla vi imperium in populos catholicos universos habet, et eorum dominatur latius ac firmius, quam Roma vetus; superbi namque Capitolii arx, quae jactabatur immobilis, ruit; stat vero immobilis reapse Vaticani petra.

VII.

Haec mira nos inter animorum consensio providentissimo Dei consilio efficitur nunc temporis, cum tot tantisque errorum monstris Ecclesia ac ipsa humana Societas impetatur ac divexetur. Perditissimi enim homines nefarios in coetus collecti fallacias veteres ac antiqua portenta jam centies milliesque a sapientissimis viris detecta, profligata et damnata ab Ecclesia, novis formis, verbisque callide obvoluta proferunt et nil intentatum relinquunt ad morum honestatem, justitiam, religionemque subvertendam, ac divina humanaque omnia permiscenda. Enimvero ausu prorsus diabolico sapientissimum ac providentissimum Deum ab humana familia et mundo expellere, omnemque ordinem sive naturae finibus contentum, sive illos excedentem stulto et impio conatu destruere pertentant. Hinc humanae rationi cuncta tribuentes ipsam sibi sufficere iactant ad quodcumque bonorum commodum curandum, et quamcumque etiam Religionis veritatem assequendam; humanum genus in progressu profectuque nullis obstrictum limitibus subjici; cui cum Christi fides refragetur, e medio omnino tollendam contendunt. Revelatione itaque divina seu penitus denegata, seu humanae rationi subdita, Ecclesiae originem auctoritatem, leges, praerogativas, jura destruunt, omnemque in eam potestatem a civili republica exerceri libere posse conclamant. Hinc ipsius romani Pontificis temporalia jura ac do-

minium quodcumque abolendum esse dictitant. Nec satis: errores erroribus cumulantes asserere non reformidant, nullam esse a Deo morum legem, et veri et falsi, boni et mali discrimen ab unica humanae rationis norma pendere. Ad haec, cum ex eodem rationis ductu vim omnem rationis in religionem ipsam derivandam esse dicant; inferunt fas cuique ac liberum esse eum cultum honoremque suo numini impendere, qui magis arrideat. Atque ut his venenatis fontibus juvenes animi ab ineunte aetate facilius corrumpantur, a quavis Ecclesiae potestate ac regimine scholas eximere adnisi sunt, ut progenies vitiosior succrescat. Imo et familiae ipsius originem et sanctitatem labefactare conantur eo nefario civilis, ut ajunt, matrimonii invento, quo magno sacramento inter Christianos tanta injuria irrogatur incredibili Ecclesiae et Societatis detrimento. Haec aliaque multa impietatis deliramenta, quae singillatim persequi horresco, non solum scriptis edita a fallacibus politicis ac philosophis leguntur, sed et per innumerabiles fere ephemerides vulgantur, ut corruptionis virus quoque die in animos guttatim infundatur.

VIII.

Ut tamen eo revertar, unde me acerba praesentis aevi recordatio dimovit, inquirendum paulo altius est qua de causa Christus Dominus, qui semper Ecclesiam suo Sanguine acquisitam tuetur ac servat, unionem hanc profecto mirandam temporibus hisce nostris magis adsertam, devinctamque voluerit quam alias. Non inficiandum militantem Ecclesiam hoc nomen merito adeptam ex eo, quod in terris usque dimicavit ac dimicat. Enim vero, quae unquam catholici ordinis regio fuit quae bella hujusmodi mali cum bono, Christi cum diabolo nec viderit nec sit experta? Modo immanium tyrannorum supplicia, modo fallaciae ac fraudulentiae hominum, modo quoque blanditiae ac simulationes teterrimum adversus Christi sponsam bellum indixerunt: adeo ut quemadmodum Christus ipse, vere tentata sit per omnia. Varia quidem pro temporum varietate pugnandi ratio fuit. Verum novissima hac aetate nostra non una ratione, neque iisdem armis sed plane diversis, atque adeo validissimis impetitur ac vexatur: nec quidquam Dei hominumque hostes infensissimi praetermittunt ad rem sacram et publicam perturbandam. Ecclesiae ministri exiliis et carceribus multantur, corruptae plebis conviciis ac ludibrio exponuntur, bonis omnibus expo-

liantur, Sacrae Virgines ac reliqui Religiosi viri ex piis ac pacificis domibus expelluntur.

Ut vero clarius appareat bellum non esse solum adversus Dominum sed adversus Christum ejus, in sacros christiani nominis Pastores vim omnem exerunt. Nos autem non sibilis, non clamoribus insani et furentis vulgi movemur aut trepidamus, non minis hominum potentum quos Deus veluti fumum dispergit, non dolis et insidiis sectatorum Diaboli, nec blandis verbis, nec mellitis callidisque virorum technis, quos mundus sapientes appellat, Deus autem stultos et insipientes. Quidnam nobis est pertimescendum? Num carceres? At Apostolorum Principes vinculis mancipati fuere. Num exilia? At totus terrarum orbis nobis exilium qui coelum patriam agnoscimus ac optamus. Num ignominias? At deficere ab Ecclesia maxima ignominia. Num martyrium? At hoc electum et maximum Dei munus. — Igitur ut persecutioni, quae fuco civilitatis illita exterius, interius autem quarumcumque acerbissima in Ecclesia saeviit, murus Israel firmior obiiciatur, Deus cum romano Pontifice hanc Episcoporum cohoerentiam voluit adserere.

IX.

Sed profecto longa mihi oratione non est opus, ut quantum boni ac incrementi catholicae Ecclesiae obveniat ex hac mentiun consociatione argumentis demonstrem. Etenim haec luce meridiana sunt clariora, et restituta longo post tempore Ecclesiastica hierarchia tum in Batavia, tum in Anglia, atque auctae Episcopales sedes et Provinciae in septemtrionalibus Americae regionibus, provinciales synodi in Gallia et in Germania habitae aliaque hujusmodi satis ostendunt utilissimam Praesulum cum romana Sede coniunctionem, uberrimo catholicae fidei incremento proficere. Itaque his omissis, breviter nonnulla attingam, quae civilem hominum societatem respiciunt. Neminem certe latet quibus quantisque malis ipsa prematur, ut navis jam cassa remigio fractis arboribus, avulso gubernaculo huc illuc fluctibus feri maris agitata ac pene submersa videatur. Unica vero in Ecclesia spes, unum perfugium. Opus enim est auxilio firmissimo, ne tanto turbine iactata deficiat, quod Religio dumtaxat potest impertiri. Discordia opinionum, quae caput est ac origo malorum ingruentium, componi tantum potest mentium consensu, qui solum in Ecclesia habetur ac viget. Hic unum tantum caput, hic unus hierarchiae ordo, qui cum uno capite

arcte devincitur: hic certa dogmatum, morumque doctrina, hic unus magister ac summus Doctor, qui nec fallit nec fallitur. Inquirendum non est quinam navis gubernaculo insideat, quinam sit dux eligendus, quibus armis dimicandum. Haec omnia cuique patent manifestissime.

Etenim ab Evangelio et ab Ecclesia quae Evangelii custos est atque interpres praecipue summi Pontificis oraculo, originem duxit ordo ille mirandus, qui in christiana societate adolescit ac floret. Pontificiae vero auctoritati tanta vis inest ac tantum robur, ut nihil illi obsistere aut contradicere valeat. Nam cum, in semetipsa tuta sit ac secura immobilibus dogmatum et morum principiis innixa, martyrio potius subjici parata est quam opinionum commentis vel leviter obsecundare. Firmitas autem tantae auctoritatis id efficit, ut mentes non vi coactae sed sponte imo etiam cum quadam jucunditate flectantur et acquiescant. Hinc cum maxima libertate subiectio, amor, reverentia.

Quidnam sublimius, quidnam magnificentius quam quod his diebus nostris oculis vidimus, hunc nimirum catholicorum hominum ab universo pene orbe concursum, praeeuntibus morum et fidei doctoribus praesulibus sacrorum? Quid majus, quid splendidius unquam obiici oculis potest quam hic Sacrorum Antistitum conventus? Hic animi dignitas, hic majestas, urbanitas, modestia atque in primis mentium concordia. Hic Viri sapientia praestantissimi, charitate flagrantes, longa hominum rerumque experientia prudentissimi. Ubinam terrarum Senatus virtute sanctior aut amplitudine excellentior inveniri aut excogitari potuit? Maturitas in deliberando, in exquirenda veritate sagacitas, in populis regendis prudentia, sollicitudo in sapienti doctrina docenda; non enim a seipsis loquuntur, sed afflante Spiritu ab alto.

Quid vero de Urbis nostrae Romae maiestate ac amplitudine dicam quae tantos ac tam praeclaros populorum pastores gestiens complexa est? Profecto ipsa ut revera est, non regni unius, sed universi terrarum orbis Metropolis, nullisque limitibus coarctatur. Vetus Romanorum Imperium non omnino defecit, quin et latius et melius non armis et vi gentium dominatur, sed pacis studiis, et Crucis virtute. Celeberrimae antiquorum temporum urbes omnino cecidere; stat vero Romae nomen et gloria, ut dici possit *regnum, quod in aeternum non dissipabitur.* Talis ac tanta Romae perennitas et gloria ex uno Pontifice

profecta est. Ipse enim sceptrum habet quod non est de hoc mundo sed de caelis, a Deo. Tenent catholici quotquot sunt omnes, Pontificem ut Pastorem, ut Patrem agnoscunt et venerantur, Romam vero ut Patriam. Nemo igitur catholicorum ab Urbe nostra extraneus sed unusquisque veluti civis. Communis enim caussa est, quum de tuenda Religione agatur, et Pontificis libertas et solium adseratur adeo ut quicumque arma ceperint ut supremum omnium Patrem defendant, suum ipsi negotium pertractent simul ac tueantur.

Quamobrem, Eminentissimi Principes, amplissimi Antistites, Academici praeclarissimi gratulari ac gestire ex animo fas est, quum inter tantas Ecclesiae et Pontificis Summi angustias saecularia solemnia recolere datum sit, quo Beatissimi Apostolorum Principes Urbem hanc effuso pro Christo sanguine illustrarunt. Ostentent plurimae Urbes, sive splendidas ac munitas copiarum acies, sive industrium artium monumenta, atque humani ingenii inventa, operumque progressus. Omnia haec nihil amplius demonstrant quam aut vim armorum, aut in materiem imperium; una mea Roma hunc Sacrorum Antistitum conventum atque hanc catholicorum populorum frequentiam potest praeseferre. Obscurus Galileae piscator, ejusque socius qui decem et octo ab hinc saeculis romanis arcibus crucem inferebant, judaeis scandalum, gentibus stultitiam; et sanguinem profundebant, modo circa suum sepulchrum populos vident procumbentes, victoriamque virtutis, et religionis adversus vim ostendunt. Non enim sine providentissimo Dei O. Maximi consilio id arbitror evenire, ut eodem fere tempore quo alibi quid valeant hominum ingenia et labores ostendatur, Roma vero Petri et Pauli martyrium nova hac et perjucunda recolat celebritate, ut omnibus pateat, quae sint opera hominum, quid sit opus Dei.